quum in unoquoque homine non sit, nisi unicum tantum peccatum originale, constat David regem non esse conceptum in peccatis quæ sint veræ culpæ. Attamen quia multæ sunt pœnæ, quæ ipsum peccatum originale consequuntur, dixit se in multis peccatis conceptum. Propter eamdem causam Paulus carnis concupiscentiam appellavit peccatum, quia est ab originali peccato causata, tamquam pœna á culpa. Deinde etsi gratis daremus, in illis verbis Exodi capi peccatum pro culpa, illa interpretatio non potest litteræ convenire, quia Deus dicit se reddere peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. At peccatum Adæ non in solam tertiam & quartam generationem transmittitur, sed in omnes (ut ait Paulus) pertransit: quia in Adam omnes peccaverunt. Præterea illa verba Dei, ut apertissime constat, sunt comminatoria, ut minarum terrore homines arceret à transgressione mandati. Ridiculum autem esset minari alicui id malum, quod necessario patietur, sive bene sive male agat. At peccatum originale nullus (Christo excepto) vitare potest, quin semel labatur in illud. Non est ergo peccatum originale, quod Deus patribus minatur se redditurum in filios eorum in tertiam & quartam generationem. Superest ut jam verum illius litteræ sensum proferamus, & Ezechielem ab Exodo minime discrepare ostendamus. Primo igitur dico verba illa, quæ per Ezechielem Prophetam Dominus ait: Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur & filius non portabit iniquitatem patris, esse intelligenda de pœna æterna, quæ post hanc vitam peccatores manet. Et certe si de illa sola pœna intelligantur præfata Ezechielis verba, verissima est illorum verborum sententia. Quoniam neminem, nisi pro peccato proprio Deus æternaliter damnat. Non enim dixit, anima quæ peccaverit, ipsa punietur, sed dixit, ipsa morietur. Ex quibus patet, non de qualibet pœna sed de sola morte Deum fuisse loquutum. Mors autem, quæ ex lege pro omni mortali peccato datur, æterna est, & non temporalis. Possunt etiam verba illa Ezechielis intelligi, non solum de pœna æterna, sed etiam de pœna temporali, & spirituali, cujusmodi est privatio gratiæ Dei, amissio juris ad gloriam suscipiendam. Nam istis pœnis nullus etiam, nisi pro suo peccato plectetur. Et certe si ea, quæ Ezechielis Prophetæ verba circunstant, plene consideren- D tur, facile quisque, vel mediocriter doctus agnoscet de sola pœna spirituali sive æterna, sive temporali, illa esse intelligenda. Quod autem in Exodo Dominus ait: se visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem, de pœna corporali & temporali, intelligendum est. Punit ergo Deus pœna corporali in hac vita filios pro peccatis parentum: sed pœna æterna, & qualibet alia spirituali pœna quamvis temporali, numquam filium pro peccato patris punit, sed anima, quæ peccaverit, ipsa morietur. Unde Augustinus super librum Josue, quæstione octava pertractans quare pro peccato Achan, filii ejus fuerint puniti, sic ait: „ Nec tamen credendum est etiam pœnis, quæ post mortem ignorantur, „ alium pro alio posse damnari: sed in his tantum rebus „ hanc irrogari pœnam quæ finem fuerant habituræ, etiam „ si non eo modo finirentur. " Hæc Augustinus. Qui post prædicta verba, aliquibus aliis interpositis, rationem reddit: quare Deus pœnis corporalibus hujus vitæ, unum pro alio puniat, & non pœnis alterius vitæ, sic inquiens: Visibiles igitur afflictiones hominum, sive mortes: quoniam his quibus ingeruntur, & obesse & prodesse possunt: Novit Dominus in occulto providentiæ suæ, quemadmodum juste quibusque dispenset, etiam cum aliorum peccata in aliis videtur ulcisci. Penas vero invisibiles, quæ nocent, & prodesse non possunt, ita nullus (Deo judice) pro alienis peccatis luit, sicut homine judice luere nullus, nisi pro sua culpa istas visibiles debet. Hactenus Augustinus. In quibus verbis plenissimam, atque sufficientissimam reddidit causam, quare filium pro peccato patris Deus in hac vita corporaliter puniat: quia scilicet talis filii pœna, & patri nocet, & filio ad salutem animæ suæ prodest. Nam propter ejusdem animæ salutem augendam, sæpe justos absque illorum culpa Deus in hac vita corporaliter affligit. Non igitur mirum, si justos filios malorum parentum Deus corporalibus pœnis, & transitoriis cruciet, cum per illas simul & patrum peccata puniat, & salutem filiorum spiritualem procuret. Pœnis B autem spiritualibus, quamvis temporales illæ sint, numquam Deus filios pro peccatis parentum punit. Ideo Beatus Augustinus quemdam Episcopum nomine Auxilium reprehendit, propterea quod Classitianum quemdam nobilem virum cum tota illius domo anathemate percussit propter quoddam ejusdem Classitiani crimen. Nam eidem Episcopo Auxilio scribens epist. 75. postquam dixerat eumdem Classitianum talem anathematis sententiam contra se, & totam suam domum latam per litteras proprias ad eum scripsisse, hæc quæ sequuntur ait. Quibus litteris lectis non mediocriter æstuans cogitationibus magna cordis tempestate fluctuantibus, apud charitatem tuam tacere non potui, ut si habes de hac re sententiam, cer- C tis rationibus vel scripturarum testimoniis exploratam, nos quoque docere digneris, quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro marito uxor, aut pro domino servus. Et paucis interpositis subdit. Neque enim hæc corporalis est pœna, qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus, qui ejusdem impietatis participes non fuerunt, pariter infectos: tunc enim ad terrorem viventium corpora perimebantur, quandoque utique moritura. Spiritalis autem pœna, qua fit quod scriptum est. (*Matt. 16.*) *Quæ ligaveris in terra, erunt ligata & in cœlo*: animas obligat, de quibus dictum est. (*Ezech. 18.*) *Anima patris mea est, & anima filii mea est. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et post pauca iterum ait: Si tibi quam juste fiat, Dominus revelavit, nequaquam juvenilem ætatem tuam, & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno. En adsum, senex à juvene Coepiscopo, & Episcopus tot annorum á collega necdum anniculo paratus sum discere quomodo vel Deo vel hominibus justam possimus reddere rationem, si animas innocentes pro scelere alieno, ex quo non trahunt sicut ex Adam, in quo omnes peccaverunt, originale peccatum, spiritali supplicio puniamus. Hactenus Augustinus. Alia potest adhuc dari expositio illorum verborum divinorum, quæ citata sunt ex libro Exodi, & ex Ezechiele Propheta, quæ etiam ex Beato Augustino super librum Josue. Verba Ezechielis Prophetæ ad judicium humanum referenda E sunt, ita ut judici humano non liceat filium pro peccato patris punire, aut patrem pro peccato filii: sed quemque pro suo. Quæ autem in Exodo dicuntur, ad solam pertinent divinam potentiam qui solus potest peccata patrum visitare in filios in tertiam & quartam generationem. Nam in loco præfato Beatus Augustinus huic quæstioni cum dubitatione respondens, sic ait. „ An aliud judicantibus „ hominibus est præceptum, ne quemquam pro altero pu- „ niant: & Dei judicio non sunt ejusmodi, qui alto & „ invisibili consilio suo novit quatenus extendat, etiam „ tem-

„ temporalem hominum pœnam, salubremque terro- „ rem? Et aliquibus interpositis subdit: At vero si Achan A „ ab aliquo inventus, atque comprehensus, & illius „ criminis reus ad judicium Josue fuisset adductus, ne- „ quaquam curandum est hominem judicem, vel pro illo, „ vel cum illo quemquam alium, qui societate facti ejus „ minime teneretur, fuisse punitutum. Neque enim ei „ mandatum legis licebat excedere, quod datum est ho- „ minibus, ne judicio suo, quod in hominem homini „ jussum, sive permissum est, alterum pro alterius pec- „ cato arbitretur esse plectendum. Longe autem secretio- „ re justitia judicat Deus, qui potens est etiam post mor- „ tem, quod homo non potest, liberare, vel perdere. Et „ post pauca iterum subdit: Hoc enim præcepit homini „ judici Deus, in his, quæ ad humanum judicium perti- B „ nent judicanda, quod in suo judicio facit ipse quo po- „ testas non aspirat humana. " Hactenus Augustinus.

Ex cujus verbis, illud, quod dixit, judicem humanum non posse unum pro peccato alterius punire, non generaliter est accipiendum & de omni pœna intelligendum: sed solum de pœna mortis. Quoniam de hac sola pœna invenio in lege divina judices esse prohibitos: ne unum pro alio puniant. Hæc enim sunt verba legis, quam Deus de hac re in Deuteronomio cap. 26. statuit. *Non occidentur* (inquit) *patres pro filiis, nec filii pro patribus: sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Cum hic occisionem prohibuisset, nullam prorsus alterius pœnæ fecit mentionem. Ut hanc Domini legem servaret Amasias filius Joas Regis Juda, quamvis eos, qui patrem suum C occiderant interfecit: filios tamen eorum occidere noluit, ut in quarto libro Regum cap. 14. narratur. Propter quod ego non possum non mirari quo pacto Imperatores Honorius, & Arcadius in L. quilquis cum militibus C. ad leg. Jul. ma. non sint veriti dicere, se ex Imperatoria lenitate vitam concedere filiis eorum, qui Regiam læsere- runt majestatem, tamquam si hac Imperatoria lenitate se- clusa, juste potuissent filios pro peccatis parentum inter- ficere. Lege siquidem divina, quam supra citavimus, erat illis interdictum, ne patres pro filiis, aut filios pro pa- tribus interficerent. Ratio autem, quam in eadem lege afferunt, ut filios etiam juste occidere possent, nullius prorsus est momenti. Paterno enim (inquiunt Imperato- D res illi) deberent perire supplicio, in quibus paterni hoc est, hæreditarii criminis exempla metuuntur. O vanissi- mum argumentum! Erit igitur Judei licitum interficere Petrum: quia juste metuit illum fore latronem, aut ho- micidam, aut aliquid aliud simile. Numquam enim de- bet pœna prævenire crimina: sed sequi. Justum quidem est hoc in filiis metuere, quod scitur patres eorum com- misisse. Justum etiam est huic metui mederi, ita ut aliquo justo remedio adhibito impediatur, ne id, quod timebatur, eveniat. Injustum tamen est, & injustissimum, ut pro- ter metum futuri criminis quis puniatur eadem pœna, qua puniretur, si jam illud crimen commisisset. Non ergo ex sola misericordia aut ex Imperatoria lenitate (ut illi E loquuntur) sed ex mera justitia conceditur vita filiis eo- rum qui criminis læsæ majestatis sunt rei. Et idem prorsus dicendum est de Catholicis filiis hærericorum, qui & si pro hæresi parentum suorum juste aliis possunt pœnis fe- riri, numquam tamen pœna mortis pro illis punientur. *Quia* (ut divina lex ait) (*Deut. 24.*) *quisque pro peccato suo morietur.* Quod autem dicit Papa in cap. vergentis. Extra de hæreticis, filiis eorum, qui læsæ majestatis sunt rei, vitam ex sola misericordia esse conservatam. Papa Innocentius cujus est textus ille, non dixit definiendo, A aut approbando illud: sed solum retulit, quid Imperatorum leges de reis læsæ majestatis decreverint: & inde tamquam á minori ad majus arguit de bonorum confisca- tione simile esse circa hæreticos faciendum, quod circa reos læsæ majestatis, Imperatorum leges decreverunt. Sit igitur hæc certissima, & infallibilis sententia, ut nulli humano judici liceat umquam unum hominem pro pec- cato alterius occidere. Quæ regula non ad solam mortem: sed etiam ad alia corporis flagella, & vulnera, & reliquos corporis cruciatus est extendenda, ita ut etiam intelligatur esse judici humano interdictum, ne unum pro pecca- to alterius flagellet, aut vulneret, aut alia quavis simi- li corporis pœna puniat. Ita enim sentiunt illustres Theo- logi, videlicet Alexander de Ales tertia parte, quæst. 41. membr. 4. articulo primo, & post illum Beatus Thomas. Secunda Secundæ, quæst. 108. articulo tertio. Et meri- to quidem divinam illam legem sic extendendam esse, pu- tarunt: quia sicut per præceptum illud: Non occides, non solum prohibetur mors: sed quælibet alia corporis percussio: ita etiam consequens est, ut per præceptum illud, non occidentur patres pro filiis, aut filii pro pa- tribus, sit etiam flagellatio, aut quælibet alia corporis percussio judici interdicta, ita ut neminem pro peccato alterius possit, aut flagellare, aut fustibus cedere. De hac igitur pœna, quæ mortem, & alios corporibus cru- ciatus comprehendit, quam Alexander de Ales, & Beatus Thomas vocant pœnam flagelli, intelligit Augusti- nus (ut ex toto suæ litteræ decursu facillimum est colli- gere) cum dixit non licere judici humano alterum pro al- terius peccato punire. Pœnam etiam spiritualem, & in- visibilem qualis est excommunicatio, dicit numquam esse à judice humano, nisi pro peccato proprio inferendam: sicut Deus spirituali, & invisibili pœna numquam alte- rum pro alterius peccato punit. Reliquas autem pœnas, quæ neque spirituales sunt, neque ad corporis mortem tendunt, bene potest judex humanus alicui, cum justa subest causa, pro peccato alterius infligere. Nec solum pro peccato alterius, sed etiam absque ullo peccato: num- quam tamen sine justa causa licite potest judex hujusmodi pœnas aliis inferre. Nam filius ex fornicatione natus, D propter solum patris peccatum, non admittitur ad sa- cerdotium, Deo ita præcipiente. *Non ingredietur* (inquit Dominus in Deuteronomio cap. 23. *manzer, id est, de scorto natus in Ecclesiam Domini, usque in decimam gene- rationem.* Judex etiam propter sententiam sanguinis justis- sime latam, & executioni mandatam, punitur irregulari- tate. Duo igitur sunt modi (ut ex prædictis patet) per quos ostendimus, ea, quæ in Exodo habentur, optime convenire cum his, quæ per Ezechielem Prophetam dic- ta sunt, & nullam esse inter illa duo contradictio- nem.

CAPUT XII.

Quod hæretici sunt mortis supplicio puniendi, sive talis mors gladio, aut igne, aut alio quovis modo illis inferatur.

ULtima se jam offert corporis pœna: mors scilicet, qua hæreticos, nisi tempestive resipiscant, juste puniendos esse apertissime Deo favente demonstrabimus. Et ut apertius rem agamus, primo ante omnia percontari volo eos, qui contra sentiunt, an licitum sit ob aliquam justam causam hominem aliquem occidere? Forte dicent, prout

prout Vvaldenses hæretici olim docuerunt, nullam esse tam justam causam, ut propter illam merito, & juste possit aliquis occidi, etiam si id fiat ex judicis præcepto. Et certe (si suspitionibus, aut conjecturis aliquis dandus est locus) ego suspicor aliquos ex Lutheranis ita sentire. Nam Otho Brunfelsius in quarto lib. Pandectarum Sacræ Scripturæ, volens persuadere hæreticos non esse occidendos, inter alia, quæ pro se adducit, affert Esaiam cap. 65. dicentem: *Non nocebunt, neque occident, in universo monte sancto meo.* Quæ verba non magis de hæreticis, quam de quibuslibet aliis loquuntur, ut illi magis, quam alii prohibeantur occidi. Quapropter ego ex hoc loco conjicio, & merito, illum sensisse, neminem, nulla etiam ex causa esse occidendum. Si ita sentiunt, in alium multo pestilentiorem incident errorem. Talis enim error præter hoc, quod sacris repugnat litteris, humanum tollit convictum, pacem totius reipublicæ perturbat, & omnem prorsus honestam pervertit politiam. Nam & si in lege veteri fuisset datum præceptum de non occidendo, multæ tamen fuerunt aliæ innumeræ leges, quæ ob aliqua particularia scelera homines morte punire jubebant. Qui declinaverat ad Magos & ariolos, interfici jubebatur. (*Levit.* 20.) Qui maledixisset patri aut matri, mortis reus censebantur. (*Ibidem.*) Sunt alia hujus generis multa, quæ non est opus nunc recensere. Dimissa lege veteri, quæ circa judicia, & cæremonias, jam per Christi mortem abrogata est, veniamus ad legis Evangelicæ tempus. Beatus Petrus Apostolus Ananiam, & Saphiram morte punivit, (*Act.* 5.) propterea quod vendito agro fraudaverant de pretio, sibi ipsis aliquid inde servantes, & non totum pretium (ut facere ex voto tenebantur) coram Apostolis portantes. Præterea ipsemet veritatis magister, eum hominem, qui alium propria auctoritate occidisset, juste occidendum esse docuit, sic inquiens: (*Matt.* 26.) *Omnis, qui occiderit gladio, gladio peribit.* Quibus verbis Salvator aperte docuit morte plectendum esse illum, qui alium occiderit. Scio esse aliquos qui putant, verba ista quæ nunc ex Matthæo citavimus, nullo pacto valere ad probandum homicidam juste posse occidi. Dicunt enim verba illa non esse juxta fatialem verborum significationem intelligenda: quia si juxta illam verba illa interpretaremur, manifesta (ut dicunt) reperietur falsitas in illis: quod impium esset fateri. Constat enim, quod non omnis qui gladio aliquem percutit, gladio judicis perit: quia multi tales, aut á mari devorantur, aut in fluminibus suffocantur, aut febre, aut quovis alio morbo vitam finiunt, aut ab hostibus interficiuntur. Sed re vera hæc ratio non tollit, quin verba illa juxta litteram sine ulla mystica significatione intelligantur: quia ratio ista nunc proxime ostensa procedit ex prava litteræ intelligentia. Nam sic verba illa capere videtur, ac si dicta fuissent à Christo ad prædicendum futuros eventus, & non potius in præceptum eorum, quæ facere oportebat. Christus enim in istis verbis. Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt, non intendit admonere nos de futuro rerum eventu, ut omnes intelligeremus qua morte morituri essent, hii qui gladium accepissent: sed præceptum statuit, & legem manifestavit per quam docuit qua pœna digni essent, qui alium gladio peremissent. Et ut hanc sententiam apertiorem & probabiliorem faciam, alia similia verba in exemplum proponere volo, ex quorum recta consideratione facilius ista quæ diximus intelligentur. Unum ex præceptis divinis in decalogo contentis, his verbis exprimitur: (*Exod.* 20.) *Non facies tibi sculptile.* Et iterum. *Non adorabis ea.* Et in alio præcepto dicitur. *Non occides.* Et in alio iterum. *Non mœchaberis.* Horum enim omnium præceptorum verba, si ad solas grammaticorum regulas examinanda sunt, futurum eventum prædicere videntur: quia illa omnia sunt in futuro indicativi modi, qui non ad præcipiendum, sed solum ad judicandum quod futurum est, pertinet. Si igitur juxta illum indicativum modum verba illa essent interpretanda, quis non videt illa omnia falsissimos reddere sensus. Nam filii Israel, quibus illa dicebantur, sculptilia fecerunt, & illa adoraverunt, & multos occiderunt, & sæpe mœchati sunt. Absit autem ut falsum aliquid in Dei verbis esse dicamus: & ideo cogimur ut verba illa non ad explicandum futurorum eventum, ut grammaticorum regulæ petunt, intelligamus: sed solum ad exprimenda Dei præcepta interpretemur. Ita ut Indicativus modus pro Imperativo positum esse agnoscamus. Ad hunc modum per omnia intelligere oportet illa Christi verba: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ita ut existimemus, verba illa non esse hominis prædicentis futura, sed præcipientis & legem statuentis, qua facultatem tribuit publicæ potestati, ut gladio animadvertere possit contra eum qui privatim & sine publica auctoritate alium percusserit, qualis tunc erat Petrus, qui nulla utens publica potestate servum Principis gladio percussit. Huic nostræ interpretationi favet Theophylactus, qui in commentariis super Matthæum prædicta verba interpretans, postquam illis Christi verbis aliam dederat expositionem, hæc quæ sequuntur, ait: „ Deinde & dictum „ legis ponit, quod homicida & ipse occiditur. Lex enim „ hoc dicit, quod qui acceperint gladium, morianturr „ gladio. " Hæc Theophylactus. Ex cujus verbis constat verba illa Christi ad legem pertinere. Legis autem officium non est prædicere futura, sed præcipere quod facere vel prohibere à quo abstinere oportet. Et certe iste si ipse verborum contextus recte inspiciatur, aperte cognoscetur verba illa ad præceptum pertinere. Nam postquam Petrus percusserat servum Pontificis, Christus dixit illi. *Converte gladium tuum in locum suum.* Hæc autem verba ad præceptum pertinere, nullus merito dubitare poterit: quoniam sunt per modum imperativum enuntiata. Ut autem urgeret Petrum ad hujus mandati executionem legem pœnalem olim adversus omnes homicidas datam, nunc illi ob oculos ponit, ut saltem pœnæ metu illum ab usu gladii, averteret, sic dicens: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Et huic sententiæ apertissime favent concordantiæ, quæ in Bibliis communibus circunferuntur, in quibus sæpe notantur ex vicina margine, loci alii scripturæ convenientes cum ea sententia quæ à latere proxime scripta est. At à latere horum verborum Christi apud Matthæum habetur citatum in margine: Gene. 9. & Apocalyp. 13. Per quas notas indicatur nobis, in illis duobus locis reperiri similem sententiam illi, quæ habetur Matth. 26. Quæ autem habentur Gene. cap. 9. hæc sunt. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Contra ista verba posset idem argumentum formari, quod contra illa verba Matthæi juxta sensum meum intellecta superius factum est. Nam multi sanguinem humanum effuderunt, quorum sanguis numquam effusus est. Sed propter hoc argumentum nullus umquam ex sacris Doctoribus (quod sciam) coactus fuit, in illis verbis grammaticalem sensum relinquere, & quærere mysticum: quia in illis verbis intellexerunt omnes, positum esse futurum Indicativum pro præsenti Imperativo. Idem ergo per omnia oportet in illis verbis apud Matthæum: *Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Sed apertiora sunt, quæ dicuntur Apocalyp. decimo tertio, ubi hæc habentur. *Qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Dicens enim (oportet) aperte declaravit non esse prædictionem futurorum, sed esse legem statuentem ut homicida occidatur. Nam quod ait: *Oportet occidi*, idem est ac si dixisset: Debet occidi. Vel, est juxta legem occidendus. Scio esse aliquos Doctores qui prædicta Christi verba, per figuratam loquutionem, de gladio spirituali interpretantur. Sed quia Augustinus libro tertio de Doctrina Christiana, docet numquam esse recedendum à propria loquutione, & quærendam figuratam, nisi quando necessitas cogit, hoc est, quando juxta propriam loquutionem reperiretur sensus absurdus. Ideo convincitur in illis verbis non esse recedendum à propria loquutione, interpretando illa de gladio spirituali: quia utendo nomine gladii juxta propriam illius vocis significationem, nulla (ut manifeste ostendimus) erit in illis verbis absurditas. Tam late de vero istorum verborum intellectu differere volui: quia video esse aliquos quibus valde displicet, quod testimonio illorum verborum ego probare voluerim, homicidam jure posse occidi. Forte alias, si Deus vitam mihi concesserit, in alio opere, quod nunc paro, longius de vero istorum verborum sensu differam. Rursum ex hac sententia alius adhuc apertissime deducitur error. Nam si propter nullam justam causam licet occidere hominem, necessario consequens est, ut propter nullam causam bellum gerere liceat: quoniam fere impossibile est, ut bella gerantur absque hominis alicujus occisione. Quantum vero hæc sententia à veritate fidei Catholicæ sit aliena, non est opus nunc ostendere: quoniam nos jam olim in eo opere, quod adversus omnes hæreses edidimus, in titut. de bello, apertissimis argumentis illam expugnavimus. Deinde si propter nullam causam licet hominem quemlibet sceleratum occidere, nulla poterit Respublica salva consistere: Quoniam nisi sceleratissimi occidantur, nulla erit in populo quies, nulla pax permanebit in illo. Mali homines quoscumque justos tanto licentiosius affligent, quanto certius noverint se propter nullum scelus posse occidi. Et mortem, quam sceleratissimis inferre, secundum hanc sententiam Judici non licet, ipsismet sceleratissimis in justos quosque inferre impune licebit. Si numquam liceret Judici rempublicam moderanti hominem aliquem occidere, terra esset plena furibus, & raptoribus, mare Pyratis, nullæque res essent tutæ: sed essent homines, juxta dictum Abacuc Prophetæ, ut pisces maris, quorum majores sæpe devorant minores. Propter quod nulla umquam (quod sciam) extitit tam barbara, aut inculta respublica, quæ ob aliqua certa crimina mortem maleficis infligendam non decerneret. Ut igitur debita sit in populo quies, & tranquillitas, expedit, ut sceleratissimi quique homines, præsertim de quibus nulla est emendationis spes, occidantur, ne propter illorum causam tota Respublica collabatur. Si quis autem nobis objiciat præceptum divinum, quod ait: *Non occides.* Respondemus per illud præceptum solam illam prohiberi occisionem, quæ à persona exercetur privata: non autem illam, quæ à Judice ob aliquam justam causam decernitur infligenda. In cujus rei testimonium Beatus Hieronymus super 22. cap. Hieremiæ, ita ait: „ Homicidas, „ & sacrilegos, & venenarios punire, non est effusio san„ guinis, sed legum ministerium." Hæc ille. Beatus Augustinus libro primo de Civitate Dei, cap. 21. ab illo præcepto, *Non occides*, aliquos dicit esse exceptos, quos juste occidi posse asseverat. Quibus enumeratis tandem, quæ sequuntur, ait: „ His igitur exceptis (inquit ille) „ quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ „ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem, vel „ seipsum, vel quemlibet alium occiderit, homicidii „ crimine innectitur." Hæc Augustinus. Forte his rationibus (ut par est) convicti, hi qui hæreticos non debere occidi contendunt, dicent licitum esse, & justum ob aliquam justam causam hominem occidere, negabunt tamen, & ut certo scimus, negant hæresim esse causam justam, propter quam homo hæreticus sit occidendus, etiam si pertinacissimus ille sit. Ut autem nos apertissime ostendamus eos perniciosissime errare, investigate oportet, & diligenter perscrutari, quæ sint justæ causæ, propter quas aliquis potest juste ad mortem damnari. Nolo in præsentiarum omnes hujus rei causas sigillatim, aut speciatim enumerare, sed solum causarum genera. Galenus vir, præter medicinæ scientiam, in omni genere Philosophiæ clarissimus, in illo opusculo, cui titulus est: Quod animi mores corporis temperaturam sequuntur, aliquas reddit causas, propter quas aliqui merito morte plectuntur, sic inquiens: Deploratos, & facinorosos tres ob causas rationi consentaneas è vita tollimus, ne videlicet superstites contumeliam nobis inferant: ejusdem notæ homines in terrorem perducant, tamquam pari supplicio excipiendos, si præter jus, quid patraverint. Tertia est, quod illis ipsis mori præstet, eo malitiæ profectis, ut nullus animi medicinæ faciendæ locus sit, aut qui ne à Musis ipsis quidem corrigi, aut à Socrate, aut Pythagora meliores reddi queant. Hæc ille insignis Philosophus. Sed quia fortasse Galeni velut Gentilis hominis, & minime Christiani sententiam multi contemnere non formidabunt, opus est, ut omnes tres occisionis causas ab illo assignatas ex naturali ratione, & sacræ Scripturæ testimoniis, justas esse comprobemus, & deinde ob easdem tres causas justam esse hæretici incorrigibilis necem, ostendemus. Primam causam esse dixit, ne videlicet scelerati, & pessimi homines viventes, aliis contumeliam inferant. Justum quippe est, ut innocentes semper serventur indemnes, neque ullo pacto permittere debet is, cui gubernandæ Reipublicæ cura incumbit, ut quis alteri contumeliam, aut injuriam inferat. Quo fit, ut si quis nocentissimus vir á Judice semel, & iterum admonitus, ne alteri noceat, noluerit à sua mala vita resipiscere, sed semper in sua malitia persistens, multis quotidie noceat, Judex illum è vita tollere cogatur, ne aliis amplius nocere possit. Tenetur enim Reipublicæ gubernator, magis toti providere Reipublicæ, quam uni, aut alteri civi, magis totum conservare corpus, quam alterum membrum. Hæc tamen intelligenda sunt, si nocumentum esset magnum: quia non pro quolibet levi nocumento licet interficere, etiam si esset in illo pertinax. Præstat igitur, ut quivis sceleratus homo occidatur, quam quod tota Respublica pereat. Periret autem, si quilibet mali homines vivere sinerentur. Nam (ut ait Salomon *Prov.* 29.) *Homines pestilentes dissipant civitatem, sapientes vero avertunt furorem.* Furorem quidem avertunt sapientes, quum ipsos pestilentes homines è vita tollunt, ne civitatem illi dissipare valeant. Hæc causa est, quæ justificat leges, quæ præcipiunt occidi fures, pyratas, sicarios, homicidas, & alios ejusdem notæ homines. Si hæc justa est causa, ut homo sceleratus è vita tollatur, consequens est,

est, ut justum etiam sit hæreticum incorrigibilem è vita tollere: quia si superstes esset, aliis Catholicis vehementer nocere poterit. Quantum enim nocere possit hæreticus, satis aperte expressit Paulus, dicens: (2. *Timot.* 2.) *Profana autem, & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum, ut cancer serpit.* Super quod Theophylactus ait: „ Violentum (inquit „ Paulus) hoc malum est, quippe cui neque mederi „ quoquam pacto potest. Quidam enim universa devas- „ tant, nec corrigi possunt. Cancer siquidem morbus est, „ qui & circumjecta depascitur." Hæc Theophylactus. Et quia tam apertum est nocumentum, quod hæretici Catholicis conferunt: ideo Paulus Galatis scribens de falsis Prophetis, qui illos seduxerant, (*cap.* 5.) ait: *Utinam abscindantur, qui vos conturbant.* Et beatus Hieronymus ait: „ Resecandæ sunt putridæ carnes, & scabiosa „ ovis à caulis repellenda, ne tota domus, massa, cor- „ pus, & pecora ardeant, corrumpantur, putrescant, „ intereant. Arrius in Alexandria una scintilla fuit: sed „ quoniam non statim oppressus est, per totum orbem „ ejus flamma populata est." Hæc Hieronymus, & habentur in cap. Resecandæ 24. quæst. 3. Huic sententiæ consonat, quod egregius ille Poeta dixit: Immedicabile vulnus rescindendum est, ne pars syncera trahatur. Altera inferendæ mortis causa, quam docet Galenus, est, ut alii similis pœnæ timore deterreantur à similibus criminibus perpetrandis. Prior causa respicit civium inter se pacificum convictum, & totius Reipublicæ conservationem, per hoc, quod nemo alterum lædat. Hæc vero causa secunda prospicit bonis ipsorum civium moribus, ut videlicet nemo attrocia crimina, etiam si per illa nullus lædatur proximus, committere audeat. Multi enim sunt ad crimina aliqua proni, atque proclives; sed metu mortis, quam maxime horrent, & quam aliis ob similia patrata scelera illatam esse sciunt, ab illis criminibus deterrentur, & illa perpetrare reformidant. Sapiens namque Salomon in proverbiis, (*Prov.* 10. *cap.* 10.) ait: *Pestilente flagellato stultus sapientior erit.* Ob hanc causam justi (ut ait Propheta Regius) de punitione malorum lætantur: quia agnoscunt se ex tali punitione non parum ad virtutem profecisse, aut sperant se in posterum profecturos. *Lætabitur justus* (inquit Propheta *Psalm.* 57.) *cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Super quo Cassiodorus ait: „ Quid „ est hoc, quod ille qui præcepit orare pro inimicis, in „ peccatorum sanguine piorum manus asserit abluen- „ das? Sed hoc si diligentius intuemur, correctionis po- „ tius, quam sævitiæ præstabit exemplum. Nam cum „ sanguis peccatoris effunditur, manus, id est actus „ justissimi corriguntur. Impio enim pereunte, com- „ monetur innoxius, cautius se, & diligentius tractare. „ Ita fit, ut manus justi non crudeliter, sed pie sanguis „ peccatoris emundet: sicut Salomon dicit: *Stulto per-* „ *eunte sapiens æstutior fit.*" Hæc Cassiodorus. Ex hac radice oritur tam numerosa legum multitudo præcipientium homines occidere propter crimina, quæ nulli alteri nisi ipsimet illorum patratori nocent. Qui declinaverat ad magos, & ariolos, lege Mosaica interfici jubebatur (*Levit.* 20.). Eadem lege decretum erat, ut blasphemus lapidaretur (*Levit.* 24.) Quamvis per hæc crimina nullus præter ipsum illorum perpetratorem lædatur, ad illorum tamen criminum horrorem aliis incutiendum, mortis pœna talis criminibus est à lege decreta, ut videlicet cæteri intelligant, quam gravia sint illa crimina, pro quibus tam acerba infligitur pœna, & ut cæteri similis pœnæ horrore, & timore à similibus sceleribus perpetrandis deterreantur. Nam hæc est causa, propter quam in lege veteri Deus præcepit rebellem sacerdoti occidi. *Qui superbierit* (inquit lex *Deut.* 17.) *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia.* In quibus verbis hanc solam, quam nunc pertractamus, expressit Deus occisionis causam. Hinc jam clarissime patere potest justissimum, nedum justum esse, morte punire hæreticum incorrigibilem: quia (ut in principio hujus operis diximus) gravissimum peccatum est hæresis. Quo fit, ut ad tanti criminis horrorem, & odium aliis ingenerandum, justum sit hæretico incorrigibili mortis pœnam inferre, ut vel inde cæteri cognoscant, quam grave crimen sit hæresis, pro quo tam tristis est dicta sententia, & ut cæteri similis pœnæ timore, & horrore hæreticos esse reformident. Si justum est per unius punitionem, aliis alicujus criminis horrorem incutere, quanto crimen fuerit gravius, & attrocius, tanto justius erit per majorem, & acerbiorem punitionem, aliis majorem ejusdem criminis horrorem incutere. At nullum est (ut supra libro primo docuimus) gravius hæresi peccatum, nullum est ergo crimen, cujus odium sit Christiano viro magis incutiendum, & inde per consequens sequitur, ut nullum sit crimen pro quo justius aliquis possit occidi, quam pro hæresi fixa, & insanabili. Si Martinus Lutherus, cum primum cœpit effundere venenum suum, & legitime admonitus, noluit resipiscere, fuisset (ut decebat) capitis animadversione punitus; cæteri timorem habuissent, & non prorrupissent tot tantæque pestiferæ hæreticorum factiones, quales, proh dolor! hodie Germania sustinet. Sed quia impunis evasit Lutherus, ausi sunt prodire in publicum, & suas effutire hæreses Oecolampadius, Zuinglius, Carolstadius, & omnium hæreticorum pessimi Anabaptistæ. Et hinc patet responsio cujusdam argumenti, quo se tueri, & nos expugnare putant hi, qui hæreticos quamlibet insanabiles ob crimen hæreseos occidi posse negant. Dicunt enim inanem, & stultam esse punitionem, & delinquentis correptionem, per quam nequit emendari delinquens. At post mortem nequit hæreticus emendari, injustum est ergo illum occidere. O bellum argumentum! Si hoc argumentum alicujus esset momenti, etiam probaret numquam esse licitum ob aliud quemlibet grave crimen aliquem occidere, non furem, non adulterum, non homicidam, non sacrilegum. Nullus enim istorum post mortem emendari potest, sicut nec hæreticus. Esset igitur juxta istorum sententiam necessarium, ut nullus illorum juste occidi posset. Respondemus igitur non omnem punitionem esse ad solam delinquentis emendationem, sed etiam ad aliorum cautelam, ut videlicet alii timore perterriti à talibus criminibus caveant. Ideo beatus Augustinus super Joannem ait: „ Nullus nostrum vult hæreticum perire; sed ali- „ ter non meruit habere pacem domus David, nisi „ Absalon filius ejus in bello esset extinctus. Sic Ecclesia, „ si aliquorum perditione cæteros colligit, dolorem ma- „ terni sanat cordis tantorum liberatione populorum." Hæc Augustinus. Tertia causa propter quam (ut dixit Galenus, justum est sceleratum hominem occidere, est ipsemet malus homo: quia desperatur, & quidem merito (ut ex illius vitæ decursu conjici potest) de illius emendatione, & timetur ne si superstes sit, quotidie pejor evadat. Ne igitur ultra ad gravissima quæque flagitia progrediatur, justum est, ut morte illata, præcludatur illi peccandi libertas. Duæ primæ causæ totius Reipublicæ utilitatem respiciunt, hæc vero tertia causa ipsius delinquentis commodis prospicit. Præstat enim mori, quam male vivere, & præstat etiam scelestum hominem mori, quam in dies pejorem fieri. *Sic enim progrediens, secundum duritiam suam* (ut ait Paulus *Rom.* 2.) *& impœnitens cor thesaurizat sibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddit unicuique secundum opera ejus.* Ob hanc causam Deus, qui dives est in misericordia, & longanimis in patientia, multos in pueritia, aut adolescentia, aut juventute ex hac vita præripit, ne crimina, à quibus tunc liberi sunt, postea viventes committant, sic enim dicit Salomon (*Sapien.* 4.) *Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores, translatus est, raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Et post pauca: *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Si hæc umquam justa potest esse causa, ut propter illam quis possit occidi, non est ubi justior possit esse, quam occidendo incorrigibilem hæreticum, ne vivere permissus quotidie magis insaniat, & pejor fiat. Est enim proprius hæreticorum genius, ut nisi fuerint prohibiti, quotidie malitiam suam augeant, novos semper suscitando errores. De his enim loquebatur Paulus, cum dixit (2. *Timot.* 3.) *Mali homines, & seductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.* Hujus rei, & si multa possint dari exempla, pro omnibus tamen illis satis erit unius Martini Lutheri exemplum, cujus gesta, quia nostro hoc tempore contigerunt, & contingunt, & multa ex illis toti fere orbi Christiano sunt notissima; multo fortius valebunt præstare pro nostra sententia testimonium, quam quælibet veterum hæreticorum, quos non vidimus, exempla. Magis quidem movent exempla visa, quam audita. Hic enim Martinus Lutherus parva habuit suorum errorum initia, à quibus in tot, tamque pestiferos (ut nunc videmus) progressus est errores. Principio quidem solum circa indulgentias, quæ per Bullas Summorum Pontificum peccatoribus ad pœnæ remissionem concedi solent, erravit: neque quidquam amplius tunc insanivit. Tunc siquidem bene de sacramentis Ecclesiæ sentiebat, omnem Ecclesiasticæ Hierarchiæ ordinem fatebatur, Papam, hoc est, Romanum Episcopum reliquis omnibus Episcopis superiorem, & toti orbi Christiano Prælatum agnoscebat. Nam in Epistola quadam ad Leonem decimum hujus nominis, tunc Summum Pontificem, hæc, quæ sequuntur, scripsit. Quare prostratum me pedibus beatitudinis tuæ offero, cum omnibus, quæ sum, & habeo, vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit, vocem tuam vocem Christi in te præsidentis, & loquentis agnoscam. Hæc ille. Post hæc paullatim progrediens negavit satisfactionem ullam pro peccatis esse necessariam: sed dumtaxat culpa, omnem prorsus dixit dimitti pœnam. Inde coactus negavit purgatorium, quod tamen in principio sui erroris apertissime, & publice in disputatione Lypsiæ habita confessus fuerat. De his erroribus, cum fuisset à Summo Pontifice Leone decimo admonitus, nec palinodiam (ut tenebatur) cantare voluisset: Leo decimus illum declaravit hæreticum, & velut talem publice excommunicavit. Videns tandem Lutherus se hæreticum declaratum, & damnatum, in tot, talesque hæreses prorrupit, quot qualesque ante illum nullus umquam hæreticus docuit. Circa errores hæreticorum omnium inquirendos (ut ex opere illo, quod adversus omnes hæreses edidi, facile conjici potest) tantam adhibui diligentiam (absit verbo jactantia) quantam quilibet alius circa hanc rem umquam adhibuit. Nullum tamen inter tot, & si multi illi fuerint, reperi, qui tot simul, tamque pestiferas hæreses docuerit. Melius igitur illi fuisset, ut statim à principio, cum legitime admonitus obedire contempsit, gladio, aut igne puniretur, quam vivens in tot hæreses laberetur, per quas divinam in se quotidie augeret iram, illamque thesaurizatam servaret in die justi judicii Dei, ut ibi tunc acerbius puniretur. Mea quidem sententia nullus esse potuit crudelior hostis Martino Luthero, quam qui potens juste ab illo vitam auferre, tamdiu illum vivere permisit. Nisi forte bono zelo quamvis indiscreto ductus, divinam hac in re voluit imitari misericordiam, quæ peccatoribus sæpe (ut ait Job cap. 14.) dat tempus ad pœnitentiam, quamvis illi abutuntur tempore sibi concesso, & pœnitentiam agere nolunt. Sed hæc sunt secretæ quædam divinæ bonitatis dispensationes, quarum causas cum ignorent homines, non est opus in illis Deum imitari. Quid dicam de Anabaptistis, qui sub ovium pelle, hoc est, sub nomine Evangelii, & fraternæ charitatis, quæ omnia semper ore tenus habent, lupinam induunt personam omni scelere, & impietate refertam? Hi siquidem quum primum insanire cœperunt, in nulla alia re (quod sciam) errabant, nisi circa sacramentum baptismi, dicentes parvulis non prodesse baptismum, ac proinde eos, qui in infantia baptizati fuerant, dicebant fore, cum ad annos discretionis pervenerint, rebaptizandos. Quia tamen non fuerunt de hoc errore (ut decebat) coerciti, atque puniti, licentiosa quadam feritate ad pessima progredientes, in pestilentissimas hæreses præcipites se dederunt. Præstitisset igitur ipsismet Anabaptistis fuisse interfectos, quam ad tantas hæresum pestilentissimas feces ebibendas, aut deglutiendas fuisse servatos. Ecce vidisti jam, candide lector, tres causas, propter quas hæreticus incorrigibilis juste potest occidi. Prima, ne vivens aliis noceat illos suo errore decipiens. Altera, ut illius periculo alii cautiores reddantur, & tantæ pœnæ timore ab hæresi deterreantur. Tertia, ne superstites pejores in dies fiant, & majorem in se divinam concitent iram. Ex quibus tribus causis apertissime colligimus, ut si aliquis homo juste potest occidi, nullus majori causa sit occidendus, quam hæreticus obstinatus, & insanabilis. Lege divina olim præceptum fuit (*Levit.* 24.) blasphemum hominem extra castra educi, & ab universo populo lapidari. Multo magis ergo hæreticus est juste occidendus, cum hæresis (ut libro primo docuimus) sit multo gravius blasphemia peccatum. Præterea in Deuteronomio, cap. 13. præcepit Deus Prophetam falsum, & somniorum inventorem interfici. Nam postquam præmonuit, ut talem prophetam non audirent, hæc subdit: *Propheta autem ille, aut fictor somniorum interficietur, quia loquutus est, ut vos averteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo servitutis.* Quis autem verius propheta falsus, & qui magis avertat populum à Deo censendum est, quam hæreticus, qui avertit à fide, *sine qua impossibile est placere Deo* (*Hebr.* 11.) Ille ergo merito juxta legem Dei interficietur, ut populum amplius à Deo avertere non possit. Rursum, scriptura referente (3. *Reg.* 1.) novimus, quod Semei sententiam mortis accepit, quia contra prohibitionem Regis Salomonis egressus est de civitate Hierusalem.

Mul-

Multo justius ergo esset hæreticum occidere, qui contra
A præceptum Dei egreditur ab Ecclesia, intra quam perpe-
tuo se continere debuisset. Deinde Josias ille Rex, cui nec
ante eum, nec postea fuit similis Rex in Juda, (4. *Reg.*
23.) sacerdotes omnes, qui contra legem Domini immo-
labant idolis hostias, occidit super altaria, in quibus illi
sacrificabant. Mathatias etiam ille sacerdos illustris legis,
& fidei propugnator, illum, qui ad aram sacrificaturus
accesserat, zelo defervens, trucidavit super aram (1.
Mac. 2.) Quid putas hic Mathatias, aut Josias ille hæ-
reticis faceret, si illorum alter superstes nunc esset? Non
dubito quin uterque illorum pro honore Dei, & pro fide
Ecclesiæ suæ zelans, hæreticos omnes ad unum usque ca-
pitis animadversione puniret, ut tolleret malum de Ec-
clesia. Juste igitur Imperatores legibus suis sanxerunt hæ-
B reticos obstinatos esse occidendos. l. Arriani. C. de hæret.
junct. l. ultimum supplicium, ff. de pœnis. Ostendimus
jam satis (ut opinor) aperte, justum esse, ut hæreticus
occidatur, quo autem genere mortis sit occidendus, pa-
rum ad rem facit. Nam quocumque modo occidatur,
semper consulitur Ecclesiæ: quia semper tollitur nocu-
mentum, quod vivens aliis præstare posset, & aliis in-
cutitur timor, ne similia docere, aut quomodolibet di-
cere audeant. Propter quod apud diversas nationes, di-
verso, & vario genere mortis hæretici occiduntur, quia
nullum est genus mortis civili, & imperiali lege sanci-
tum. In Flandria, & aliis inferioris Germaniæ partibus,
quum ego illic ante annos decem versarer, vidi hæreti-
C cos capitis obtruncatione puniri. In Geldria tamen hæ-
retici manibus, & pedibus ligati jussu Caroli tunc Gel-
driæ Ducis, in flumen aliquod mittebantur vivi, ut à
flumine absorberentur. Eodem genere mortis (ut à mul-
tis qui viderunt, audivi) punitus est Antuerpiæ qui-
dam insignis Lutheranus jussu Dominæ Margaretæ Caro-
li Cæsaris Amitæ, quæ tunc ob Cæsaris absentiam, pa-
triam illam gubernabat. Audivi etiam Brugis in Flandria
á multis fidedignis oculatis testibus consuetum esse in illa
Civitate, hæreticos vivos mitti in oleum fervens, ut ab
eo citissime comburerentur: sed tunc quum ego ade-
ram, sola capitis obtruncatione peribant. In cæteris Chris-
tiani orbis Regnis, aut Provinciis, nova, perpetua,
D & inviolabilis est consuetudo hæreticos igne comburere;
sic vidi fieri in Francia, præsertim Lutetiæ. Sic in His-
pania, & credo sic factum fuisse semper in Italia. Nam
beatus Gregorius libro primo dialogorum, cap. 4. narrat
Basilium quemdam Magum Romæ combustum esse, &
rem gestam laudat. Et (ut antiquiora revolvamus) Dios-
corus Alexandrinæ urbis Episcopus, qui Gregorium per
aliquot sæcula præcessit, in Chalcedonensi Concilio ac-
tione prima, quum de erroribus Eutychetis ageretur
ibidem, dixit: Sic Eutyches præter dogmata Ecclesiæ sa-
pit, non solum pœna dignus est, sed & igne. Hæc ille.
Ex quibus verbis apertissime constat non esse recentem
inventionem, sed antiquissimam sapientum Christiano-
E rum sententiam hæreticos esse igne cremandos. Panormi-
tanus in cap. ad abolendam de hæret. refert Hostiensem,
& Joannem Andream in eod. cap. dicere, hæreticos de-
bere igne cremari. Ad quod persuadendum adducunt il-
lud, quod Salvator noster apud Joannem cap. 15. dixit:
*Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, &
arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.*
Quorum sententiæ videtur favere idem Panormitanus
loco præfato: & in cap. excommunicamus, ult. de hæret.
Sed hi omnes, quamvis doctissimi viri, multipliciter er-
rant. Primo, quia & si hæretici sunt occidendi, non ta-
men est necessarium illos comburere, quia hoc (ut dixi-
mus) nulla lege præcipitur. Deinde, & si esset aliqua
lex, quæ hæreticos igne comburi præciperet; nihil ta-
men ad legem illam persuadendam agerent verba illa sal-
vatoris ex Evangelio Joannis citata. Non enim ibi loqui-
tus est Salvator de hujus sæculi igne, quem his corporis
oculis nunc videmus; sed loquutus est de igne inferni,
quo ardebunt perpetuo peccatores. Nec sermo illius ad
solos illos dirigitur, qui per errorem fidei separantur á
Christo, ut sunt hæretici; sed loquitur ibi Christus de
omnibus peccatoribus, qui propter defectum charitatis
separantur á Christo, & non manent in eo: & hos om-
nes perpetuo inferni igne, nisi pœniteant, dicit arsuros.
B Si quis ergo quærat quare comburantur hæretici; respon-
deo hoc non esse ulla lege firmatum, sed sola consuetudi-
ne. Quam consuetudinem, si quis justam esse persuadere
voluerit, per hoc melius probabit, quod conveniens est
legi divinæ, olim per Moysen datæ, & punitionibus,
quibus Deus olim similes peccatores punivit. In seditio-
ne, quam suscitarunt Chorè, Dathan, & Abiròn, du-
centi quinquaginta viri ex proceribus Israel, qui illis ad-
hæserunt, igne desuper à Deo misso consumpti sunt, quia
schismatici fuerunt, & sacerdotale officium contra jus, &
fas usurpare tentarunt. *Num.* 16. Omnis autem hæreticus,
schismaticus censetur, & merito, quia separat se ab unitate
fidei, quam tota tenet Ecclesia Sanctorum. Deinde, cum
C ob præfatam punitionem á Deo factam, omnis multitu-
do filiorum Israel murmuraret contra Moysen, & Aaron,
dicens quod illi interfecissent populum Domini, ortaque
seditione, tumultus adeo increseret, ut Moyses, &
Aaron pro vita salvanda ad tabernaculum fœderis fuge-
rent: Deus desuper incendium super populum misit,
quod magnam in populo fecit stragem. Fuerunt enim
qui in incendio illo perierunt (ut sacra refert Scriptura)
quatuordecim millia hominum, & septingenti, absque
his, qui perierant in seditione Chore. Si Deus nunc, Deus
ultionum esset, ut olim, igne desuper misso Lutheranos
combureret, quia seditionem moverunt, & quotidie mo-
vent contra Principes Christianos, dicuntque illos esse ty-
D rannos, propterea quod hæreticos incendio perire fa-
ciunt. Non abs re igitur schismatici hæretici comburun-
tur, cum Deus tot schismaticos incendio deleverit. Nam
ob hanc causam justa dicitur esse lex, quæ in aliquibus
Regnis, utputa in Hispania, decernit eos, qui præpos-
tera utuntur libidine, igne fore comburendos; quia si-
mili pœna Deus olim Sodomam & Gomorrham propter
idem peccatum punivit. Inter cæteras leges à Deo per
Moysen datas, una erat, qua præcipiebatur, ut filia sa-
cerdotis, si deprehensa fuisset in stupro, & violasset no-
men patris sui, flammis exureretur (*Levit.* 21.). Anima
cujuslibet Christiani filia censetur illius summi sacerdotis,
de quo Regius Propheta dixit (*Psalm.* 109.) *Tu es sa-*
E *cerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Regene-
rata siquidem est per gratiam, quæ illi in baptismo per
merita passionis Christi donata est. Sed hæc in stupro de-
prehenditur, quando eam fidei integritatem, quam in
baptismo suscepit, per hæresim amittit. Est enim hæresis
quædam fornicatio spiritualis. Stupro hujusmodi perpe-
trato, nomen patris sui violasse dicitur: quia cum à
Christo nomen per baptismum suscepisset, ut Christianus
homo ille diceretur, postquam in hæresim lapsus est,
non jam Christianus dici meretur, sed Arrianus, & Nes-
torianus, aut Lutheranus, aut alio quovis nomine cen-
se-

sebitur. Hic talis juxta legem merito flammis exurendus
A tradetur. Hanc legem per allegoriam exposuimus, non
quidem ut per illam convincere credamus hæreticum esse
necessario comburendum. Non sum enim adeo ignorans,
ut hoc putarem: quia certo scio juxta doctrinam Augus-
tini non esse sumendum argumentum ex mystico sensu
Sacræ Scripturæ ad doctrinam aliquam confirmandam:
sed solum ex sensu litterali. Hac igitur sola de causa hic
per allegoriam parumper ludere placuit, ut ostenderem
hanc hæreticorum punitionem per incendium habere ali-
quod in Sacra Scriptura exemplar cui se possit utcumque
confirmare. Potest adhuc hæc consuetudo delendi hæreti-
cos per incendium alia via persuaderi, quod sit justa:
quia videlicet genus illud mortis vehementer animos vi-
dentium terret. Quo fit ut videntibus, & audientibus
B terribilem incutiat timorem, & inde consequens est, ut
per tale genus mortis cæteri magis ab hæresibus deter-
reantur. Ut igitur quæ tam late dixi, brevibus conclu-
dam: dico, & firmissime teneo justum esse, ut hæreti-
cus incorrigibilis occidatur. Quo autem genere mortis sit
occidendus hoc, an illo, parum interesse censeo: sed
liberum erit cuique regno aut provinciæ, quo genere
mortis voluerit hæreticum interficere, cum nullum sit
genus mortis universali lege præfixum.

CAPUT XIII.

Respondetur objectionibus eorum, qui dicunt hæreticos non
C *esse morte plectendos.*

OStensa jam, & firmissimis (ut existimo) rationibus
fundata, nostra, & Catholica sententia de hære-
tici incorrigibilis occisione, ut clarius illius veritas omni-
bus innotescat, & firmior illa consistat, necessarium fore
existimavi respondere his, quæ contra nos objiciunt ad-
versarii, & illa nullius prorsus roboris esse, ostendere.
Otho quidam Brunfelsius ex familia Lutheranorum in
quodam opere, quod vocavit Pandectas Sacræ Scripturæ
lib. 4. in loco, de hæreticit non comburendis: multa
hinc inde citat Scripturæ Sacræ testimonia, quibus pro-
bare nititur hæreticos non esse occidendos, sed rationibus
D convincendos. Quorum aliqua neque in cute, neque in-
tus considerata ullo pacto illorum favent sententiæ. Alia
vero, & si sola facie illis se patrocinari ostendant, intus
tamen inspecta, & diligenti (ut decet) examinatione dis-
cussa, aperte declarabunt se nullum pro illorum senten-
tia dicere testimonium. Primo igitur (ut à veteri exordiar
testamento) nobis objiciunt illud Esaiæ Prophetæ: Cap.
2. *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in
falces.* Quæ verba ego non video quo pacto possint ad
hæreticorum punitionem adaptati. Sive enim sensum lit-
teralem, qui solus ad doctrinam aliquam stabiliendam est
efficax, in verbis illi spectes. Sive etiam sensum mysti-
cum sub littera latentem consideres, nihil quod ad præ-
E sens negotium attinet, invenies. Nam juxta verum illius
litteræ sensum, Propheta promittit pacem, quæ Christo
incarnato, & ex utero Virginis nato futura erat in mun-
do, in quo tam multa, atque frequentia bella præcesse-
rant, ut vix hominibus pateret aditus, de una provin-
cia ad alteram transire volentibus. Fervebant quidem ante
Christi incarnationem ubique bella, digladiabantur in-
ter se Gentes, & adversus populum Israel sæpe felici,
& prospero successu bella gesserunt. At Christus ex Vir-
ginis utero nato, qui veram pacem hominibus verbo &
opere docere veniebat, pax toti orbi tunc reddita est.
A Propter quod (ut Beda in libro de ratione temporum re-
fert) Romæ templum pacis, quod hactenus semper fue-
rat clausum, eo temporis articulo, Deo ita disponente:
ad tantæ rei novitatem designandam, fuit sua sponte
apertum. Quod autem hæc Esaiæ verba ad tempus Christi
nati sint referenda, ea quæ præcedunt apertissime con-
vincunt. *Et erit in novissimis diebus* (inquit Esaias) *præ-
paratus mons domus domini in vertice montium, & elevabi-
tur super omnes colles, & fluent ad eum omnes gentes, &
ibunt populi multi, & dicent: Venite ascendamus ad mon-
tem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias
suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit
lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et judicabit gentes,*
B *& judicabit populos multos.* Quæ verba ad tempus sub
Christo nato (ut constat) sunt referenda. Et post præfata
verba statim Esaias subjungit: *Et conflabunt gladios suos
in vomeres, & lanceas suas in falces.* Quæ verba tunc ad-
implenda erant, quando venisset ille, qui judicaturus
erat gentes & populos multos. Si quis autem verba illa
ad totum tempus futurum post Christum natum referen-
da esse contendat: nihil moror, dummodo sic intelligat,
quod Christus ipse Salvator noster, doctrina sua non so-
lum nobis pacem commendavit: sed omnem belli occa-
sionem á nobis abstulit. Nam præcepit, *ut diligamus ini-
micos nostros, (Matth. 5.) & benefaciamus his, qui oderunt
nos, oremus pro his, qui nos persequuntur*, & calumniam
C nobis inferre conantur. Deinde, ut perfectiorem confir-
maret inter nos ipsos pacem, consuluit, ut injuriæ repa-
rationem nemo peteret, nec pro re aliqua in judicio cum
proximo contenderet: quia hæc duo sunt, quæ sæpe
inter proximos pacem turbare solent. Audistis (inquit
ipse Rex pacificus, & pacis magister Christus Salvator
noster) quia dictum est: (*Ibidem.*) *Oculum pro oculo, &
dentem pro dente. Ego autem dico vobis non resistere malo:
sed si quis percusserit te in dexteram maxillam tuam: præbe
illi & alteram. Et ei, qui vult tecum in judicio contendere,
& tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et quicum-
que te angariaverit mile passus, vade cum illo alia duo.* Quæ
omnia & si non præcepta, sed consilia ab omnibus Ca-
tholicis censeantur: omnem tamen belli tollunt occasio-
nem his, qui illa recte servaverint. Hi igitur qui inte-
gram Christi legem tam in consiliis, quam in præceptis
servaverint, perfectam pacem amantes, conflabunt gla-
dios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: Nihil
igitur in illis verbis, quod ad hæreticorum punitionem
spectet, dicitur. Nisi forte per illa verba Otho Brufelsius,
aut quivis alius Lutheranus, dicat prohiberi omnem
vindictam, aut punitionem quacumque auctoritate fac-
tam. Quod si forte, pro sua effrænata, & impudenti lo-
quendi licentia dicere non erubescat, audiat, obsecro
Paulum illius sententiam damnantem, qui de publica
potestate loquens, ait: (*Rom.* 13.) *Si malum feceris, ti-*
E *me: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister
est: vindex in iram, ei qui malum agit.* Per illa ergo Esaiæ
verba, & si forte (quod non puto verum, cum nihil de
hac re loquantur) prohibeatur bellum auctoritate privata
factum, aut vindicta, sive punitio, quæ à privata fie-
ret auctoritate: nullum tamen horum inhiberetur, si á
publica potestate ob justam aliquam causam fieret. Et nos
etiam fatemur hæreticum hominem quantumlibet pesti-
lentem non posse à quovis homine occidi: nisi auctorita-
te publicæ potestatis illi fuerit commissum. De mystico
autem illorum verborum Esaiæ intellectu, qui multiplex
dari

dari posset, nihil moror, quoniam ille (juxta omnium sacrorum doctrinam) parum efficax est ad doctrinam aliquam comprobandam. Secundo pro se affert idem Otho aliud testimonium ex eodem Esaia Propheta sic dicente: *Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo.* Et certe (ut ingenue fatear) ego non possum intelligere quomodo ex illis verbis posit ille Otho colligere hæreticos non esse occidendos, cum non in particulari de solis hæreticis: sed elocutione universali de omnibus Esaias Propheta dicat: *Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo.* Nisi forte Otho ille contendat Deum per illa Esaiæ verba prohibere omnem cujusvis hominis occasionem, ac proinde eisdem etiam verbis prohibuisse ne hæretici occidantur. Sed hoc falsum esse, & à fide Catholica alienum, in proxime præcedenti cap. ostendimus. Præterea, si Otho dicit Deum per illa verba prohibere hominem aliquem intra Catholicam Ecclesiam occidi, consequens est, ut etiam fateatur Deum prohibere, ne post datum Evangelium potestas aliqua inferat aliquod homini nocumentum. Nam sicut in illis verbis dixit Deus: *Non occident*, ita etiam dixit: *Non nocebunt.* Itaque juxta istam sententiam: nec rex, nec Imperator, neque alia quævis potestas posset hominem sceleratissimum, ob quantacumque gravissima crimina occidere, neque flagellare, neque fustibus cedere, neque pecunia mulctare, neque à populo, aut regno relegare, neque aliud denique qualecumque nocumentum illi inferre, propterea quod Deus per Esaiam Prophetam ait: *Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo.* Hoc autem fateri non solum est error, & hæresis: sed maxima dementia, & bestialitas, quæ cum indigna sit, ut rationibus contra illam agatur, igne, & morte de medio tollenda esset. Sed opus est, ut verum, & germanum illorum verborum Esaiæ sensum ostendamus, & inde apertius evadet, quam longe verba illa Esaiæ à scopo præsentis disputationis absint. Illa Esaiæ verba nullum præceptum, nullamque prohibitionem continent, sed promissiones quædam sunt illorum bonorum, quæ post Christi in carnem adventum, Deus suæ daturus erat Ecclesiæ. Et (ut quod dicimus apertius ostendamus) verba quæ præcedunt repetere oportet: quoniam circunstantia scripturarum est, quæ maxime solet verum illarum manifestare sensum. Quæ autem proxime præcedunt, hæc sunt. *Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ. Et percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium, & erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Hæc omnia Esaiæ verba nemo est Catholicus, qui non interpretetur illa de Christo salvatore nostro: quoniam omnes sacri doctores illa tribuunt Christo redemptori nostro. Et Paulus istorum verborum partem in secunda ad Thessalonicenses Epistol. cap. 2. de eodem interpretatur. Post hæc autem verba statim Esaias Propheta subjungit multa bona, quæ nobis per Christum donanda erant, sic inquiens: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit. Vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus, & ursus pascentur, simul requiescent catuli eorum. Et leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramina aspidis, & in caverna Reguli, qui ablactatus fuerit manum suam mittet. Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientes.* Hactenus Esaias. Quæ illius verba constat esse promissiones eorum bonorum, quæ per Christum redemptorem nostrum generi humano donanda erant, & non præcepta. Sicut enim per illa verba non præcipitur nobis, ut habitare faciamus lupum cum agno, & pardum cum hœdo: ita etiam per illa verba non præcipitur nobis, ut non occidamus, aut non noceamus. Nam ejusdem conditionis sunt omnia illa, quæ eodem contextu sunt in illa præfata littera connexa, ita ut omnia illa promissiones dicantur, aut præcepta. Cum autem dicit: *Non occident, & non nocebunt in universo monte sancto meo*, non de hominibus: sed de venenosis illis serpentibus videlicet aspide, & regulo, quos proxime nominaverat, loquitur. De regulo siquidem, & aspide promittit, quod non occident, & non nocebunt in universo monte sancto suo. Quæ verba nequaquam juxta solam litteræ superficiem: sed juxta spiritualem sensum sunt accipienda: si quis vero mihi in hac parte non fidit, audiat Beatum Hieronymum, qui in commentariis super Esaiam Propheram præfatas omnes Esaiæ promissiones interpretans, sic ait: „ Hæc quoque Judæi, „ & nostri Judaizantes juxta litteram futura contendunt, „ ut in claritate Christi quem putant in fine mundi esse „ venturum, omnes bestiæ redigantur in mansuetudi- „ nem, & pristina feritate deposita lupus, & Agnus „ pascantur simul, & cætera cum cæteris, quæ nunc „ videmus sibi esse contraria. Et post pauca subdit. Sed „ & hoc eos interrogemus, quid dignum sit Domini ma- „ jestate, ut lupus, & agnus pascantur simul, & par- „ dus cum hœdo habitet, & leo paleas comedat, & puer „ parvulus mittat manum suam in foramine aspidum? „ Nisi forte juxta fabulas poetarum, aureum nobis Sa- „ turni sæculum restituent, in quo lupi, & agni pascen- „ tur simul, & mulso vino plena current flumina, & „ de foliis arborum stillabunt mella dulcissima, lacteis- „ que fontibus omnia complebuntur. Et aliquibus inter- „ jectis, subjungit: Hæc breviter diximus, ut Judaizan- „ tes nostros gravissimo somno stertere convincamus. Cæ- „ terum juxta vivificantem spiritum facilis est intelligen- „ tia. Et tandem spiritualem reddens intelligentiam, hæc „ ait: Qui autem ablactatus est, & nequaquam lacte „ nutritur infantiæ: sed jam solido vescitur cibo, iste in „ reguli cavernam mittet manum, hoc est, in ipsius Sa- „ thanæ habitaculum, & inde eum extrahit. Unde & „ Apostolis potestas data est, (*Luc.* 10.) ut calcarent su- „ per serpentes, & scorpiones, & super omnem fortitu- „ dinem inimici. Nocere autem, & occidere nequaquam „ potuerunt venenata prius animalia, eos qui habitave- „ rint in monte sancto Dei, quod interpretatur Ecclesia, „ de quo in Evangelio dicitur: (*Matth.* 5.) *Non potest* „ *civitas abscondi supra montem posita.*" Hactenus Hieronymus. Ex cujus verbis apertissime constat, illa Esaiæ verba, quæ nobis objicit ille Lutheranus Otho, nihil prorsus continere, quod ad hæreticorum punitionem, vel ex longinquo pertineat. Obsecro te nunc lector, ut confideres qualibus scripturæ testimoniis hæretici Lutherani suas hæreses probare nitantur. His etenim, & aliis ejusdem notæ testimoniis plebem indoctam decipiunt, & in pestilentissimos trahunt errores.

Tertio nobis objicit illud, quod Salvator noster de fratre in nos peccante, qui semel & iterum admonitus emendationem negligit, apud Matth. cap. 18. ait: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* Quibus verbis excommunicandi potestatem dedit Ecclesiæ, non occidendi: injuste ergo (ait ille Otho) occiduntur hæretici. O bellum argumentum! quod non semel tantum, sed iterum pluries peccat. Primo quidem notissimum est omnibus, qui vel parum aliquid dialecticam gustarunt: ineptum esse modum argumentandi per locum ab auctoritate, negando, veluti si quis argumentetur hoc modo: Christus Salvator noster non dixit Feria secunda jejunandum esse, aut orandum, aut studendum Sacræ Scripturæ: ergo nullum istorum ille die agere licet. Nam si collectio istius argumentationis valida esset, & efficax, eodem modo ex opposito colligere liceret: sic argumentando: Christus Redemptor noster non dixit Feria secunda non esse jejunandum, aut non orandum, aut non studendum Sacræ Scripturæ: ergo nullum istorum illo die omittere licet. Itaque eodem argumentationis loco duo contradictoria probabuntur. Quia sicut Christus Salvator noster unum non præcepit, ita neque præcepit alterum. Talis est præsens argumentatio, qua Otho arguit hæreticum non esse occidendum: quia Christus non præcepit occidere: sed excommunicare. Hæc est Lutheranorum dialectica, qua sæpissime utuntur, credentes hujusmodi fallaciis totum decipere mundum: sed frustra mittunt rete ante oculos pennatorum. Eodem modo etiam peccant, quando ex dictis Pauli ad Titum, cap. 3. sic arguunt: Paulus dicit, *ut hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devitemus*: non autem, ut occidamus. Fateor hoc non dixit Paulus: sed nec etiam prohibuit, ut non occiderentur, ac propterea inde nec unum, nec alterum colligere licet. Eamdem fallaciam committunt in aliis multis argumentationibus, quas pro hac re faciunt, præsertim cum ex illo Salvatoris verbo arguunt, quo ait: (*Matth.* 16.) *Cavete à fermento Pharisæorum.* Non dixit: Occidite hæreticos pharisæos: sed solum dixit, ut caveremus ab illis. Quibus ego respondeo, quod si non dixit: Occidite, neque etiam dixit: Non occidite. Deinde adhuc iterum peccatur in præfato argumento: quia & si illa collectio esset bona ab auctoritate negative, nihil inde plus colligi posset, quam quod Ecclesiastica potestas hæreticum occidere non posset. Quia illa sola est, & non potestas laica, cui tunc Christus loquebatur, & cui dedit excommunicandi potestatem. Per hoc ergo, quod dans potestatem excommunicandi, subticuit potestatem occidendi: solum colligi potest (si tamen collectio esset bona) eam potestatem, quæ potest excommunicare, non posse occidere. Quod licet multi Catholici negare contendant, qui utrumque gladium tribuunt Ecclesiæ, ipsa tamen Ecclesia opere ostendit se unum tantum habere gladium. Quia solum gladium exercet spiritualem, reliquum in vaginam recludens. Nam Ecclesiastici judices non occidunt hæreticos: sed laica potestas, quæ gladium corporalem, juxta dictum Pauli, (*Rom.* 13.) *non sine causa portat*, illos jubet occidi. Neque ullum est in toto jure Pontificio decretum, quod hæreticos jubeat occidi: sed tantum jubet illos potestati sæculari tradi, ab illa, pro suo arbitrio judicandos. Verum hic occurrunt nobis Lutherani dicentes: Episcopi, & alii hæreticorum inquisitores similes sunt Sacerdotibus Judæorum, qui cum mortis Christi Salvatoris nostri re vera essent auctores: Pilato tamen Judææ Præsidi dicebant: (*Joann.* 18.) *Nobis non licet interficere quemquam.* Tales per omnia (ut Lutherani dicunt) se exhibent hæreticis judices Ecclesiastici. Hi enim (ut Lutherani calumniantur) auctores sunt mortis hæreticorum, & tamen dicunt illis non licere interficere hæreticos, ac propterea tradunt illos potestati sæculari, ab illa ad mortem condemnandos. Sed re vera hic, sicut alibi sæpe falluntur, & affectu maligno obcæcati miserrime errant. Ut autem omnibus notum faciam, quam invidiose illi contra Inquisitores, & alios judices Ecclesiasticos loquantur, opus est, ut apertissime ostendam latissimum esse discrimen, ac proinde ineptam esse similitudinem inter Ecclesiasticos hæreticorum judices, & Judæorum Sacerdotes. Pharisæi, & alii Judæorum Sacerdotes, quamvis manibus non occiderunt Christum Salvatorem nostrum, tamen occiderunt cum lingua, multis variisque modis illius mortem procurantes. *Nam primo* (ut Joannes Evangelista testatur, cap. 11.) *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium dicentes: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit?* Et tandem dato per Caypham anni illius Pontificem consilio, quod expediret Christum mori, ne tota gens periret, illius consilio acquieverunt cæteri, & ab illo die cogitaverunt interficere Christum omnium Redemptorem. Deinde tradiderunt illum Pilato, & coram illo ad mortem Christum accusarunt: & quia veris hoc agere testibus non poterant, falsos induxerunt testes qui, contra Christum falsum dicerent testimonium, Pilatus in super cum causam Christi examinasset, velletque illum dimittere, qua nullam inveniebat in eo mortis causam, dixit populo: *Quem vultis dimittam vobis Barrabam, an Jesum, qui dicitur Christus? His auditis Princeps, & Seniores* (ut Matthæus refert, cap. 27.) *persuaserunt populo ut peterent Barrabam, Jesum vero perderent.* Rursum cum Pilatus flagellatum Christum, & coronam spineam in capite portantem, vesteque purpurea indutum populo ostenderet, ut vel sic populum ad illius misericordiam provocaret: *Pontifices, & ministri* (ut Beatus Joannes Evangelista narrat, cap. 19.) *clamaverunt dicentes: Crucifige, crucifige eum.* Post hæc Pilato dicenti Sacerdotibus, & populo ut ipsi Christum acciperent & crucifigerent: Responderunt Judæi: *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori quia filium Dei se fecit.* Deinde, cum Pilatus quæreret Christum liberum dimittere. Judæi clamaverunt dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit contradicit Cæsari.* Denique sedente Pilato pro tribunali: cum ille Christum populo ostenderet, diceretque: *Ecce Rex vester.* Judæi (inter quos sine dubio fuerunt Sacerdotes) clamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Et cum diceret eis Pilatus: *Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Videte obsecro, & diligenter attendite, quoties Sacerdotes Christi mortem coram judice petierunt: nec tamen leviter, sed importune nimis judicem urgentes, populumque ad idem ipsum postulandum variis mendaciis seducentes. Propter quæ omnia merito illi Christum Salvatorem nostrum crucifixisse censentur: quia & si manibus non crucifixerunt: hoc tamen consilio suo fecerunt. Et hoc modo Beatus Augustinus concordat dissonantiam, quæ videtur esse inter Evangelistas, quorum alter dicit Christum crucifixum esse hora tertia, alter hora sexta. Nam Judæi (ut Augustinus ait) occiderunt Christum hora tertia, tot talibusque verbis (ut diximus) mortem illius procurando: milites vero occiderunt manibus hora sexta. Videamus nunc an aliquid horum faciant cum hæreticis inquisitores, aut alii judices Ecclesias-